

secum invicem non pugnent, sicut DEUS non pugnat cum donis suis: Gratia tamen & bona opera, tanquam dona gratuita rectè ab Apostolo opponuntur ratione unius ejusdemque effectus, qui in justificando consistit: Hic enim effectus si gratia tribuatur, mox excluduntur opera; rursus si eundem effectum operibus ascribas, vi oppositionis Apostolicae omnem mox tollis gratiam.

XXXIII. Deinde si bona opera ex causis essent Iustificationem conferentibus, utique justificationem seu reconciliationem hominis cum DEO necessario antecederent, cum tamen potius absolutam jam hominis justificationem si non tempore, saltem naturæ ordine subsequantur, secundum illud, 1. Joh. 2. v. 29. Omnis, qui facit justiciam ex DEO natus, a deo que jam justificatus est. Nunquam enim opera verè bona DEO que placencia fieri possunt, nisi ab ijs, qui DEO prius reconciliati sint, ac per fidem illi placeant: Et nemo habet timorem filialem & dilectionem DEI, nisi qui jam ante in filium adoptatus & justificatus sit.

XXXIV. Quapropter cum Bona opera justificationem jam constitutam, ordine naturæ, ut effectus causam, fructus arborem consequantur, nunquam certè illius consequendæ causa existant, aut cum Gratia DEI salvificâ ad eundem effectum producendum conjungi poterunt.

XXXV. Nec contemnenda est hæc in parte Methodus Apostolica D. Pauli: Licet enim ubique fidem justificantem, conjungat cum dilectione, cum mortificatione & aliis operibus, in unâ scilicet integrâ Epistolâ: utriusque tamen per tractationem plerumque justis intervallis & totis capitibus ita separat, ut è circulo justificationis prius disertè exclusam doctrinam operum, absoluta demum explicatione articuli de justificatione ultimo

b 3

loco

2.

Bona opera
sequuntur ju-
stificationem

3.

Methodus
Paulina Iusti-
ficationem &
sanctificatio-
nem sejungit.